PETRI MOLINÆI

P. F.

ΠΑΡΕΡΓΩΝ

Incrementum.

PSAL. XCII. *v.* 14.

שתולים בבית יהוה בחצרות
אלהינו יפריחו: עוד ינובון בשיבה

CANTABRIGIÆ,
Excudebat *Joann. Hayes*, Celeberrimæ Academiæ
Typographus. M. DC. LXXI.
Impensis *Joannis Creed*, Bibliopolæ *Cant.*

25-241

Lectoribus meis S.

Quod post versus bene multos à me nuperrimè evulgatos iterum poëta prodeo, non est cur mihi occlametis quod Encolpius Eumolpo, *carmina sua amicis indesineuter & immisericorditer recitanti*, Per fidem parce nobis qui te nunquam lapidavimus; *Nam cùm possitis ad audiendum adigi, non potestis ad legendum; liberos enim homines alloquor. Sed si hanc mantissam mihi condonatis, dabo operam ut hic sit postremus in isto genere labor. Id anni mei me submonent, nè vietum & mucidum sapiat si quid in*

tam delicato & juvenili ſtudio ſenectus iſta parturiet. Tempus eſt ut ſeptuagenario major poëticari deſinam, contentus ſolutâ oratione (ſi queam) ſapere. Neque verò Muſis iſtis iratus valedico, quibus ego me ità oblectavi, ut etiam erudirem atque confirmarem. Utinam & alios. Valete.

MEDI-

MEDITAMENTA IN ORATIONEM DOMINICAM.

Pater noſter qui es in Cœlis.

MEne luto, noxâq; magis fœdúmq; gravémq;,
Te Regem ſolio celſum radiantis Olympi
Indigitare Patrem, Nato dictante, juberi?
Obſequor, O Genitor, precibus mihi ritè vocande;
Obſequor, amplector venerandæ ſortis honorem
Magnificum, æterni tibi notus imagine Nati;
Quam rectam effinxti, deformatámque refinxti,
Bis Pater. Hæc igitur nos prima, hæc ſumma laceſſat
Cura, characterem cœleſtis originis altè
Imprimere, & caſtis genitale recondere Numen
Mentibus, ad patrios ſurſum nitentibus ortus.

Sanctificetur nomen tuum.

AT te Parentem Spirituum, tuâ
Tuum refulgens effigie genus,
Semet beantes Angelorum
Concelebrent hominúmque mentes

Cœlo receptæ : dúmque canunt tuum,
Ter Sancte, Nomen, maxima tertii
Plausu repercussi secundo
Aula tonet tremefacta cœli.
Creator ingens, laude fremens tuâ
Per secla mundi machina personet.
Tuæque nomen sanctitatis
Discipulâ celebrare vitâ
Mortalium gens approperet frequens.
O spem remotam ! dum scelus imperat ;
Fraudúmque telluri gementi
Incubat horribilis caterva.
At quo ferocit turba superbiùs
Blasphema, Numen spernere concita ;
Hoc pertinaciùs verendum
Sanctificet pia turba Nomen.
Hæc nostra Templi pectora sint vicem.
In quo, Deus Rex, hinc Amor, hinc Fides,
Cherubiporum sint tibi instar
Jugiter in medio sedenti.

Adveniat Regnum tuum.

REgnator ingens, cujus audiens sacræ
Natura legi semet obsequio beat ;
Tibi quicquid unda, quicquid educat solum,
Pecudum, volucrum, stirpiúmque secula
Subsunt, tuísque stant perennè legibus :
Quámque Imperator summus instruxti semel,
Cœlestis acies siderum, inviolabilem
Spatii, locique, lucis, influxûs, gradûs,
A te statutum fida servat ordinem.
Hui ! nósne rerum Principes vicarios
Homines, supremi Regis immemor genus,
Inobsequentes esse Principi Patri,
Mundi incolarum perduelles unicos !

Sic est, fatemur; cruda vis, libido, fraus,
Latè imperantes, jus & æquum proterunt;
Sceleri Senatûs dira consulta adstruunt
Authoritatem; quique pridem moribus
Febricitabat, nunc laborat legibus
Labefactus Orbis. Hosce Manes invehit
Rebellionis improbæ ~~primi~~pilus *fabr malo*
Dis ater Orbi; séque ceu Regem gerit
Hominum subacti generis, hui! non perperam.
O quando perdes, ultimúmque conteres
Serpentis à te jam diu attritum caput?
Hostésque sceptro comminutos ferreo
Sparges ut urnæ dissipata fragmina?
Quando revulsâ carnis & mundi in tuis
Hostilitate pervicâ, fidelium
Regnator unus obtinebis pectora?
Quando coruscis nubibus, currûs vicem
Sublime vectus, luce nativâ micans,
Inter tuorum, lætus & felix redux,
Plausus secundos te triumphantem feres,
Regno verendum splendido, forti, pio,
Edacis ævi non terendo dentibus.

Fiat voluntas tua, sicut in Cœlo & in terra.

SUmme Parens rerum, Cœli Terræque potestas,
Cœlitibus læto culta tremore choris;
Cur tua Cœlicolis nunquam violata voluntas
Rarum à Terricolis obtinet obsequium?
Nam vel ab injustis justissima proculcatur,
Vel manco à justis læditur officio.
Euge solum & cœlum, Rex utrobique colende,
Fac tibi consimili morigerare modo.

Quòd si peccati ſcoriæ, carnísque veternum
Juſtitiæ nolint cedere conſilio,
Eſt præſtò fornax, eſt decretorius ignis;
Excoquat hoc viadex ultima flamma nefas.
Donec fraude vacet, obryſo purior auro,
Æqua micans æthræ Terra recocta tuæ.
Ut jure addubites, tibi cùm gerat utraque morem,
Utra magìs cœli nomine digna ſiet.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

AT dum perſequimur tuam
Juſſi quærere gloriam,
Tu nobis hodie, Pater,
Panem porrige filiis,
Queis clemens tibi præcipis
Lucis linquere craſtinæ
Curam; nos alito cibo,
Noſtro, non vice ſimplici;
Et quem tu dederis favens,
Et qui percipientibus
Uſu ſit proprius bono.
Panem poſcere nos jubes,
Non pollucibiles dapes;
Largus pauca petentibus
Supra quod petimus dare.
At nos maxima poſcimus;
Nil te pane minus ſacro:
Temet, Chriſte, perenniæ
Panem, te eſuriunt tui.
Hunc nos ſollicitè decet,
Bis Cœlo genitum genus,
Panem quærere Cœlitem.

Et

Et dimitte nobis debita noſtra.

O Nos, Magne Parens, indignos pane fruiſci
Quem te rogamus indigentes noxii !
Quémque, hominum ſortem ſemper miſeratus egenam,
Rogatus atque non rogatus provides :
Cùm tamen ingrati vertant ad crimina vires,
Tuæ paratas dapibus indulgentiæ.
Ergo redhoſtimus curæ malefactæ paternæ,
Quâ perpetim nos focilas, malos bonus ;
Crimina muneribus, mandatis improba juſtis
Neglectionis acta vel rebellii.
At cùm pœna premat culpam comes, ipſáque cæco
Rea mens ſubinde torqueat ſe verbere,
Diráque noxarum numeróque & pondere moles
Miſeros ad imum nos Avernum degravet ;
Prolixam tibi materiem bonitatis utrinque
Et noxa noſtra præbet & periculum.
Parce reis, clemens Genitor, ſuccurre miſellis,
Cumulis amoris obruens molem mali.
Reſpicito precii qui ſe obtulit infiniti,
Nocente pro mundo innocentem victimam
Chriſtum ; nósque ſimul meriti quos protegit umbra,
Sui cruoris delibutos unguine.

Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

Hui ! quâ veniam poſcere fronte
Poſſumus à te, clemens Genitor ?
Quam nos læſi fratribus ægre
Damus, ultrices quum ſemel iræ
Nos exagitant, odiúmque tenax
Longùm excoxit vitrea bilis.

Num

Num cui decies mille talenta
Debenti Rex ſponte pepercit,
Si conſervus denariolos
Centum debet, parcere nolit?
Leviter læſus graviter lædat,
Animi ſibimet fervore litans,
Orbâ catulis ſævior urſâ?
Siccine ſimus gravis immemores
Conditionis, ſine quâ veniam
Summo ab judice ſperare nefas?
Siccine Domini jura ſupremi,
Ad quem pertinet ultio ſolum,
Præripiamus; per te edocti
Reddere factis bona facta malis,
Mitésque bono ſuperare malum?
Rex ſpirituum, quos tu vertis
Quacumque libet, catus ut pronos
Aquilex rivos; ad fraternum
Vertito amorem miſerè inter ſe
Digladiantes animas Chriſti
Morte redemptas. O ſic mitibus
Ignoſcentibus ignoſcatur,
Sic pacificis aurea Pacis
Supra Cœlos aula pateſcat,
Ridénsque Salus, fragili lætùm
Carne ſolutis.

Et nè nos inducas in tentationem.

Nè poſthac, Pater, acta punienda
Ignoſcendáve perpetremus unquam,
A nobis remove, Parens benigne,
Irritamina quælibet malorum,
Invitaminâque admove bonorum.

Nobísque

Nobísque ingenitas mali dolosi,
Quæ tentaminibus fores recludunt,
Fibras erue quas fovemus intus.
Heu quot omnigenûm hostium patemus
A dextra insidiis, quot à sinistra!
Quot hinc blanditiis, quot indè telis
Infirmi impetimur! quot aucupantum
Strophis undique, sycophantiísque,
Noxæ conciliabulis pudendæ,
Expalpamur, ut avios teramus
Tramites, tibi, Sancte, displicentes,
Nobis tristiter usque pœnitendos!
Quid quod sæpe plos malas ad artes
Pravè-suada Fames, dolor, tyrannus,
Pavor dedecoris, minæque trudunt.
At tu nè patere ut tuos iniquum
Pondus obruat impares ferendo.
Nec nos per laqueos inambulantes
Aut pellax domet aut minax Erinnys.
Tu nos robore fac tuo potentes
Mulcentem & superare sævientem.

Sed libera nos à malo.

HEu quis, nisi adsis, integer queat stare!
Ecclesiæ, Rex, unicum tuæ robur,
Salus bonorum, perduellium terror.
En ut sinistrorsum instat atque dextrorsum
Satelles Orci, qui parentibus primis
Defectionis virus addidit primæ;
Quod nunc miselle vah! propagini instillat,
Verniliter in arcana mentium repens,
Sibi patente tramite, sed eis cæco;
Eósque ad omne pestifer nefas urget.
Non ille cornibus minax, Avernali
Lurore fœdus, pandit horribiles chelas;

Nè

Nè possidere quas avet fuget mentes:
Sed amœnitate auróque totus exsplendens,
Lubentiarum delibutus unguento,
Placens, facetus, atque blandiens se dat
Adblandiendum: quondam ut Angelus lucis,
Suffarcinatus sanctitate, quam lenam
Rebellionis, præstitémque prædandi
Facit, superbè cautus hostis, obludens
Studio popelli, cui magìs placent gerræ,
Fucúsque mendax veritate germanâ;
Oestro furoris quem velut sacro zelo
Exstimulat acer, ad scelus nimis pronum,
Pietatis ergô Cerne quot procellarum
Torminibus ille dirus aëris Princeps
Divexet Orbem, maximè in tuos sævus.
O si tux, Rex providentiæ cura,
Oculus vigil deesset, & manus pollens;
Vel manciparet ad sui ferox cultum
Imagine omnes Conditoris insignes,
Totámve rerum machinam daret pessum,
Malignitati tanta vis adæquatur
Scelerum Parentis, & Dei hostis horrendi.
At tu potente dexterâ, Parens, natos,
A vi hujus hostis atque subdolo risu,
Tibi servientes liberos bonus serva.

Quoniam tuum est regnum & potestas & gloria in secula seculorum. Amen.

Tu nos Optime, Maxime,
Hostis Tartarei verbere liberans,
O jura asserito tua!
Sit virtute tuum jure quod obtines.

Cùm

Cùm te regna, potentia
Agnoſcant Dominum, firmáque gloria,
Hui! cur regna, potentiam,
Auſit, cúrve ſibi ſumere gloriam
Impuriſſima bellua,
Dæmon imperii mancipium tui?
Hæc uni tibi propria
Æternùm retines: hæc tibi copiam
Firmandi auxilio tuos
Præbent: hinc precibus certa venit fides,
Affectum Patris Optimi,
Regali comitem Cunctipotentiæ,
Nil non poſſe quod eſt volens,
Nil non velle ſuis utile quod fiet.
Fretis viribus illius
Quem regnum, vigor, & gloria ſunt penes,
Nil eſt ejus ab hoſtibus
Quod damni timeant atque periculi.
Nobis muneris hoc modò
Incumbat, tibi amore, Optime, Maxime,
Puris laudibus, ac fide,
Et ſancto obſequio reddere gloriam.

POENI-

POENITENTIA.

I.

PRimi parentis primuli rebellii
Invitus hæres, absit ut me noxium
Etiam secundi erroris ejus alligem,
Mihi ex virente vela ficu consuens,
Nemorúmque opacis perperam comis reum
Caput inlatebrans, obstituris scilicet
Penetrantis ima pectoris oculis Dei.
Non cordis arcæ Conditor seram addidit
Adeò involutam, tam recludi nesciam,
Opifex ut ipse quod creavit non queat
Aperire clausum contumáxque scrinium.
Agedum, latere qui nequimus noxii
Arcana fraudum cæca scrutantem Deum,
Confessione liberâ nos addecet
In intima ultro cotda Spirituum Patri
Aperire portam. Quilquis est nocens malè
Bene confitens sit Ad salutis limina
Ingenua primus est gradus confessio.
Sinceritatis aureæ fautor Deus
Ignoscit illi cuncta qui sibi nihil.

II.

Coram supremo Cognitore & Judice,
Penetrante semet in recessus pectoris,
Heu! me nocentem conscius jubet pudor
Jacere pronum, sordidatum pulvere,

Sponta-

Spontaneúmque facere quod ingratiis
Facerem coactus, degravatus, procidens
Noxæ prementis sub stupendo pondere,
Impar ferendo, víxque, mox nè vix quidem
Par ejulando; cordis attriti gravi
Ægrum dolore præfocante spiritum.
At at! sub isto spes latet gravamine.
Peccata nempe levia nuper, nunc gravant,
Quia non ut antè proprium obtinent locum;
Et pristinarum curta dulcitudinum,
Quæ pridem amorem, nunc ei quod afferunt
Intertrimento supparem angorem creant,
Odiosa fœda, mentis informis lues.
At ego, semel nos si Deus salvos velit,
(Et vult, nec ullum perditum cupit reum)
Vos dira Averni pignora ulciscar probé.
Nam confitendo, temperando austeriùs,
Lacrymis, dolore qui salutem parturit,
Lenocinamen carnis accipiam malè:
Precibúsque & armis omnibus hominis novi
Instructus, ova vos mali corvi mala,
Vos dira Averni pignora usque conteram,
Et euntium me perditum perdam genus.

III.

Quem pœnitenda, quem pudenda admittere
Minimè pudebat (hei mihi!) multesima,
Nunc pœnitere, nunc pudere conscium
Minimè pigebit atque lugentem reum.
Est [illegible]iste, serius tamen pudor.
Nunc Publicani stantis in Templo procul,
Ædisque sanctæ vix terentis limina,
Schema induentes, non caput non lumina
Audentis uda lacrymis attollere,
Ferire palmâ nos decet pectus nocens;
Dicendo, parce, parce Judex, sed Pater,

Reo

Reo fatenti; quémque juſtus perdere
Extrema pravum quæque commeritum queas,
Servato clemens: ſumma tu Clementia,
Juſtitia ſolda; ſed ego peccatum, lues,
Criménque putum: quicquid, O rerum potens,
Statuere de me deſtinas, ultro tibi
Geminabo laudes, & mihi convitia.

IV.

O Nósne ſummi Numinis ſpiramina,
Adulterare grande Cœli animam genus!
Nos Conditoris ectypas imagines
Alias nefando amore ſuperinducere,
Turpes, malíque vah! nimis ſimiles Patri,
Squallentis Orci ſordido ſatelliti!
Quîcum (tuæ nî Gratiæ benigna vis
Peſſum ruentes nos retraxet) ilicet
Raperemur unà, mente, ſorte, crimine,
Hoſtilitate pervicâ in te, compares.
Non iſta cœlo ſcita miſſa Gratiæ,
Amanter imo pectori immeantia,
In ταδανίγκλω ſivimus adoleſcere.
Potior apud nos illa flexanimis Caro,
Trahárque Mundus, molle ſubridens ei,
Nobiſmet, in nos prævalent, volentibus.
Senſúſque noſtri, janitores perfidi
Domeſtico hoſti ſponte recludunt fores.
O quiſnam ab iſta carne, Morte veriùs,
Mundíque laqueis implicatos liberet?

V.

O ſortem iniquam ſpiritûs pii, hoſpitis
Inhoſpitali carnis in gurguſtio!
Habere mundum ſæpe tes juſſi ſuas,

Pepuli,

Pepuli, fugavi; rursus intro repere
Blandùm facetis allaboranti modis,
Oppessulavi sensuum contra fores,
Precando, votis lacrymis, jejunio:
At ille palpo, cui favens Natura dat
Suadæ medullam, pulpitanti pellicit
Carnem remulcens pessulum reducere.
Regressus, omni sedulus prothymia
Adulat, ambit, abgregari se gemit,
Honorum opúmque splendidis præstigiis
Christo dicatum fascinare cor studet.
Ego pro virili blandientis improbas
Excutio chelas; hæret excussus tamen,
Carnis tenaci familiaris glutine.
At me Redemptor, quem Caro & Mundus tenent
Contra trahentem, tu teneto altrinsecus.
Agglutinatum tu potens reglutina;
Tibíque totum debitum, totum assere.

VI.

O, quem dura triplex circum præcordia lamna
Criminis admissi pœnituisse vetat,
Mœsta tibi subeat Christi pendentis imago,
Cui lacerat dium spina cruenta caput.
Aspice quadruplici clavo confixa trabali
Membra, terebratum cuspide cerne latus.
En ut adorandum Cœli Terræque Monarcham
Horriferæ fixit vah! tua noxa Cruci.
Hac prius in Terram summo deductus Olympo,
Mox tua labe carens crimina dira luit.
Horum terrifico sub pondere singultivit,
Sub prælo hoc totus sanguinis imbre fluens.
Molliat hic pro te fusus tua pectora sanguis
Quæ chalybe & quovis durius ære rigent.
Atque salutifero pressus fractúsque dolore,
Cum Domini lachrymas sanguine misce tuas.

Et tua, ſalvifici Regis Juſtíque, Benigníque,
Interfectores, crimina dede neci.

VII.

Hui quanta Numen in ſinum mortalium
Benefacta fundit! quótque mox uſu malo
Violata pariunt diſpares fœtus ſibi!
Nam lene ſpirans aura ſortis blandulæ,
Habitúsque lætus corporis valentuli,
Virente, planâ, molle declivi viâ,
Miſeros tolutim ſemiſomnos devehunt
In flammigantes horridi fauces Stygis.
Beatus ille quem propemodum præcipem
Clementer aſpra retrahit Dei manus,
Medente morbo, aut excitante turbine
Nemeſis ſupernæ; donec ingentem arbitrum
Utriuſque ſortis, & verendum Judicem,
Liber veterno noſcat; & juſtum Deum
Semétque pravum ſentiat, monitus malo.
At ſors fatigans, blandiente non minus,
Hominem ſubinde pellit in partem malam:
Et ſive ridens, ſive vultum contrahens,
Invenit utroque labilem, vel efficit.
O ſumme rector, Paſtor & Cuſtos vigil,
A me benignus quæ ferendo non ſiem
Utriusque ſortis amove tentamina.
Fac te minantem, te faventem fac tremam;
Fac te faventem, fac minantem diligam;
Inflexus aliis, flexilis ſoli tibi.

VIII.

Avare Tite cur opes accongeris?
Cur ſtulte Vare litteris te maceras?
Inops uterque frugis & mentis bonæ;

Non

Non vos ſequentur Mortis ultra limites
Utrique fixos, aut opes aut litteræ,
Queis ſe datori neuter approbat pium;
Noxæ ſequentur: contremiſcent nuduli,
Gravedinoſi, ſordidati ſpiritus,
Ante ora dia Spiritûs puriſſimi,
Divi haud ferentes luminis flagrans jubar,
Nigrantis Orci mox futuri noctur.

Cùm nos homullos Mortis inclementia
Labore parris improbo deveſtiat,
Nullâque Minervæ, nulla Pluti dotium
Animæ ſolutæ corporis vinclo hæreat,
Agedum ſeverâ quiſque pœnitentiâ
Everrat animam ſorde propere, dum licet;
Sacriſque adornet ſedulus virtutibus.

Cùm ſemet omnis puritatis Principem
Solis videndum præbeat puris Deus,
Quisquis videre lumen æternum ſitis
Oculum verendæ viſioni proprium,
Animam ſupernæ viſionis organum
Purga, repurga, pœnitens, fervens, frequens,
Et uſque & uſque; donec immundi nihil
Occludat aditum lumini mundiſſimo.

At tu miſertus arduo in conamine
Niſus fideles ſed fatiſcentes Deus,
Illabere inſtar roris in mentes tui
Siticuloſas, & labantes ſubleva:
Lucíſque lucens fac capaces nos tuæ.

IX.

Proterve juvenis, ſeu libido, ſeu merum,
Seu te impotenter ira tranſverſum rapit,
Queis corpus, animam, rémque profligas tuam;
Malo malum quid ſi malâ offertur manu,
Si lumbifragium potûs ex rixa refers,
Luem medullis ſi lupa incuſſit tuis,

Isthæc tibi sit pœnitentiæ schola,
Hinc vitia disce fugere, multatus malè.
Quisquámne tanti pœnitere præstinet?
Sed apud nepotem perstat infrequentiùs,
Licèt empta magno, diva Pœnitentia:
Vitiíque pœnas hæc charis non assolet
Ut pœna vitium subsequi pedissequa.
Dolent nepotes sæpe, raro pœnitent.
Tu verò honesti si tibi in fibris salit
Scintilla, si quid fomitis sancti super;
Ante ora tremulus æviterni judicis,
Qui dicta, facta, cogitata perspicit,
Demitte propriæ fœditatis conscius,
Oculos pudentes; tunde pectus, ejula,
Quâvísque pœnâ pejus exosus nefas,
Exterminari quàm piari crimina
Magis labora: sospitandi te Deo
Committe curam; túque curam perpetem
Deo placendi & obsequendi suscipe.

X

Mature mentis sicut ævi Pollio,
Usúque rerum jam perite longulo;
Ut hæc juvat te scena vitæ? an tædium
Eadem videndi & usque & usque te capit?
Rotâque veterem vetere pressandi orbitam,
Quam tu terendo temet ipse deteris?
In quot viarum labrica, in quot aspera,
Trepidus tulisti utroque lapsantem pedem,
Gravis tibimet, & cadens identidem,
Per gratiámque erectus, heu! rursus cadens,
Mox stans, sed idem casabundo proximus?
Hos passus olim ephebus, hos pateris senex
Manes iniquos. tum (quod Antiphanes ait)
Est nostra dolio vita consimilis meri;
Perpaucæ in imo quum supersunt guttulæ,

Id

Id paulum aceſcit quicquid in fundo manet.
Huic igitur imis proximanti fæcibus,
Generoſiores ſpiritus affundito,
Fidei Speíque, & cælitem zelum Dei:
Stimulóſque ſegni ſubde Pœnitentiæ,
Tremore ſancto. Agamus hoc propere ſenes,
Pueri, viríque, nè ſupremi Judicis
Lictor inamænus, Mors ſevera, lurida,
Incogitantes imparatos opprimat.

AMOR DEI.

I.

SPirituum Genitor, cujus ſpiramine vivit
Spiritus iſte, tui ſignatus imagine diva;
Sentio non ſatis eſſe mihi quod naribus iſtis
Vitalem hanc animam, vitæ Pater inſufflaſti.
Hanc etenim carnis fæces, contagio Mundi,
Diſque malus diris labefactavere venenis.
O Pater, O animæ pia lux, iterúmque Creator,
Heu tandem veteri ſuperinduxiſſe novellam
Nè pigeat, ſenſus alios, aliósque recoctæ
Affectus mentis, pures & origine dignos.
Quúmque animæ ſit clavus amor, quem quiſquis habebit
Vertet eam quocunque volet, tu conditor iſtum
Poſſide; & hinc Mundum qui clavo affixus & hærens
Aſſidet, inde malam cui mens eſt hoſpita carnem
Pelle gubernaclo, ſolus proreta carinæ.
En operam ſequor uſque tuam, totíſque volentis
Viribus ingenii tibi Rex firmare laboro
Imperium, tibi cor ſolium ſacrare, ſacellúmque;
O mentes habitans humiles, Cœlúmque ſupremum.

II.

Hæc per meatus lympha ſubterraneos
Deducta ab alto gurgite undarum mari,
Trepidè ſub iſta lympida ebullat ſpecu.
Hinc fuſa nullam perdia indulget ſibi
Pernóxque requiem, donec exorta ex mari
In mare recurrat, magnam originem ſui.
Sic noſter ad te, grande principium ſui,

Avet

Avet reverti ſpiritus; ſed (proh dolor!)
Hic more lymphæ jugiter non volvitur
Naſquam reſiſtens; ſed moram ingratam trahit
Implicitus ulvis, atque ſtagnans indidem;
Cui nempe Mundi per ſalebras eſt iter:
Has runcinare cupidus auxilium tuum
Implorat animus, liber ut ſeſe explicet,
Ad téque puro devehatur alveo.
Fibris, Creator, cordis ingenera mei
Robuſtum amorem cui nihil ſit invium;
Cui nulla carnis læta, nulla triſtia,
Nitentis ad te curſui ſint obices.
Fac ut perennis fluminis ritu fluens
Quo longius ſe provehit, eo largius
Exuberet amor; mox in Oceanum ſuum
Plenis beatum ſe refundat oſtiis.

III.

Qua te celebrem laude? quo te diligam
Ardore mentis? dulce præſidium meum,
Creator ingens, ſoſpitator, anchora
Meæ ſalutis: Gratus acceptum fero
Paterno amori quo foves me, munere
Vitalis auræ quod valentalus fruor,
Vitæque ſpiro cœlitus procemia.
Tu me in parentis ilibus finxti meæ,
Coagulatum more mollis caſei,
Et involucris faſciaſti mollibus.
Eductus à te ſoſpes indè, mox manu
Tenerâ tenellus educatus exſtiti.
Quâ me puellum curâ & adoleſcentulum,
Parúmque cauti juvenis annos fervidos
Rexiſti, in omne nè malus ruerem malum?
Quibus inſtitutis erudiſti me? quibus
Exercuiſti anguſtiis ſalubribus,
Clementer aſper? His paráſti me ad cruces

Alias ferendum, quas tui fideliter
Juris tenaci Mundus ingessit ferox.
Quòd multiformi semper ex certamine,
Athleta cassis (fateor eheu) viribus,
Victor redivi, muneris totum est tui,
Supreme vindex juris, & præstes tuis.
Caput hoc procellis impetitum protegis,
Pedésque laqueis impeditos expedis.
Laterique tandem sternis emeriti senis
Lasso quietem. Fac ut illâ sic fruar
Ut mente memori strenuum per otium
Amoris in me facta tot, Pater, tui
Recolens adorem; méque amore mutuo
Ex asse totum debitum exsolvam tibi,
Per quem, perennis Mortis eruptus jugo,
Factus tui sum sanguinis pretio tuus;
Meúsque rursum quia tuus, Ditis nigris
Liber catenis, candidatus cœlitis
Perennitatis, filius Patris Dei,
Christique frater: Ista tecum perputans
Animula magno amore flagrabis Dei,
Deóque disces vivere, & mundo mori.

IV.

Largitor ingens, qui mei custos vigil,
Mea vota cura jugis anticipas tuâ,
Precésque donis; Liberator unice:
Quòd ægrum ab Orci me retraxti faucibus,
Per te quòd hujus carpo vitæ munera,
Et spem perennis, vim mihi gratam facis
Ut sospitantem sospitatus diligam,
Venerérque ab imis ardidus præcordiis,
Amori amorem sedulus redhostiens.
Sed aliud ultra commodi sensum mei,
Necessitatem creat ineluctabilem,
Ut corde toto te, Deus, celebrem, colam,

Et

Et amoris igne totus incendar tui:
Quòd omnium tu solus es, Rex Maxime,
Perfectione summâ amabilissimus,
Decoris author omnis, & primus decor;
Aliunde qui non gloriam & decus petis;
Pater ipse lucis, perpetísque gloriæ:
Quæ fonte in ipso nemini usurpabilis,
Locos per omnes, terreos, olympicos,
Radios ubique spargit, & spectabilis
Variâ coruscat mira magnificentiâ.
Hinc Orbis ille conditi pulcherrimus,
Se luce vivâ inaurat, ostro purpurat,
Titan superbus, gentibus lætum jubar,
Ingens Parentis luminum genus, & typus.
Hinc ille fulgor gemmeus tot syderum,
Quibus atra Noctis vestis interpungitur.
Hinc Terra sese rore Cœli inebrians,
Virente pallâ magna anus juvenescere
Venusta gaudet, & puellari modo
Ornat novellis verna flosculis sinum.
Hinc illa suavis floribus fragrantia,
Et tot colorum suavior diversitas.
Hinc arva puris irrigantur fontibus,
Umbrísque nemorum compta rident pascua.
Hinc avicularum garrula minuritio.
Hinc illa plantis, illa tot animalibus
Decora species. O decorum primitus
Decora cuncta cui suum debent decus!
Bonitate verò quâ sibi magis placet
Est Deus amari dignior pœissimùm;
Quà tota latè Terra, quà Cœlum patet,
Factis bonum se luculenter approbans.
Virgulta pomis, arva culta frugibus,
Vites racemis, pascua armentis scatent,
Æquátque glebam pinguis uberem soli
Mare piscolentum. Demeretur sedulâ
Bonitate amorem gentis humanæ Deus,

Cœlíque

Cœlíque Terram mulcet indulgentia.
Nec illa, quanquam læſa, deſinit malis
Inſtruere menſam, ſed malum ſuperat bono.
Illásne amoris maximas ediſſeram
Profunditates, quid hominum miſerens, Dei
Æterna proles tulit, ut occiſiſſimos
Erueret Orco? quæ redemptis contulit
Perennia bona, mira, magna, de quibus
Silere præſtat quàm nimis parcè loqui?
Benignitati juſtitia adhæret comes,
Immenſa, firma, nota ſola legibus
Quæ dicta, facta, cogitata judicent,
Hominésque pœnis præmiísve perennibus
Plectant vel ornent. Intima penetralia
Cordis penetrat æviternus arbiter,
A fraudulentis perſpicax diſcernere
Puros receſſus; nulla circumſcribere
Æquas bilances judicis magni poteſt,
Obliqua clauſi pectoris verſutia.
Quid quod ſupremi rectitudo Judicis
Semet valente vindicat potentiâ,
Potentiæque ſuppari ſapientiâ?
His mactus ille propriis virtutibus,
Qua Terra radiis ſubjacet ſolaribus,
Divina latè jura dat Sanctiſſimus,
Volentibúsque didit & nolentibus.
Mali ſeverus ultor & vindex boni,
Infirmiores non ſinit bonos diu
Neronianis opprimi furoribus;
Pedibus Tyrannos proterit feroculos,
Rictúsque hiantes belluarum comprimit.
Sua pacta tabulis ſculpit in adamantinis,
Et fixa clavis aſſerit trabalibus.
Semel inſtituta Regis invictiſſimi
Conſilia nullas temporum metuunt vices,
Nullos Averni obgannientis impetus.
Hunc ergo Regem quem ſua æternum beat

Genuina,

Genuina Virtus, Fama, Regnum, Gloria,
Superi celebrant, Inferi ultorem tremunt,
Circúmque radians veſtit immenſus decor;
Hunc libet amare amore ter digniſſimum,
Ardore amoris unicum digniſſimum.
At quibus amem te amore quàm digniſſimo,
Sumámque comitem amoris horrorem ſacrum,
O Sancte, vires tu mihi tuas dato,
Amor Parentis Filiíque, Spiritus.

V.

Pſalmus CIII. Benedic anima.

PAnge Dei laudes mea mens, noménque celebra
Ter ſanctum, integris cordis penetralibus imi.
Pange Deo laudes, benefactorúmque ſtupendam
In ſeriem deſcende Dei, gratéſque repende.
Ille tuis numero denſis è pondere noxis
Parcit; multiplici contractis crimine morbis
Omnibus ille unus dextrâ ſanante medetur.
Ille ex lethifera te nocte ſalutifer Orci
Eruit, & vitam tantum non morte ſepultam,
Muneribus largis, in amore tenerrimus, ornat;
Ora cibo ſaturans, infirmantémque ſenectam
Viribus ingenuis refovens renovánsque juventâ.
Sic ſenio confecta ſolet regina volucrum
Calvitiem plumis iterum veſtire novellis.
Ille igitur mihi carmen erit, qui robore juſto
Vindicat oppreſſos, & opis miſeratur egentes.

Qui

Qui veri rectíque vias, ſua fœdera Moſem,
Ilacidas voluit ſua grandia noſcere facta;
Rex placidus, clemens, ultricem tardus ad iram;
Cujus habet nullum larga indulgentia finem.
Non homines miſeros, maculoſæ pectora culpæ,
Increpat aſſiduus, nullo placabilis ævo.
Non paribus pœnis, æquo libramine lancis
Juſtitiæ, Judex hominum peccata redhoſtit.
Sed quantum eſt terris excelſior arduus æther,
Tam ſublimè pios erga, ſanctíque timentes
Numinis erigitur ſummi clementia regis.
Et quantum Heſperius limes removetur ab Ortu,
Tam procul à nobis peccati abſcedere noxam
Et jubet & peragit. Genitoris more benigni
Morigeris aperit, miſerans, ſua viſcera natis.
Nam quibus hæc hominis coëat conſtétque elementis
Carnea compages, vitæ quæ veſcitur aurâ,
Ipſe opifex novit; memor has ex pulvere vili
Concretas in eum tandem ſe ſolvere maſſas.
En ut fluxa ætas hominis velut herba vireſcit,
Ubertate ſoli, Cœlique tepentibus auris.
En ut in auricomos adoleſcit vivida flores,
Agri primus honor, fragrans, blandúmque renidens;
At ſimul hanc gelidi ferit inclementia flabri,
Marcida, ſicca, ſolo cadit ignorata ferenti.
Marceat uſque licèt, pereat cum divite cenſu
Carnis vita fugax; manet æternúmque manebit
Non adimenda piis ſuperi clementia regis;
Quam nati natorum & qui naſcentur ab illis
Percipient, modò ſemper eis ſit prima Parentis
Obſervare Dei mandata & fœdera cura;
Qui ſibimet ſolium ſtatuit flammantis Olympi,
Omnia Regnator longè latéque gubernans.
Vos igitur verâ & ſolidâ virtute potentes
Angelici cœtus, alacres, laudúmque periti,
Et cantare pares, & reſpondere parati,

Alternis

Alternis celebrate Dei venerabile Numen ;
Qui Domini imperiis ſollemnibus auſcultantes,
Obſequio voſmet prompto & conſtante beatis.
O tota in cœlis acies inſtructa Tonantis,
Æternum rerum Dominum celebrate Miniſtri,
Sedulitas quos fida Deo Dominóque probavit.
Cuncta ubicunque Dei dextrâ pollente creata,
Per ſpatium ingentis non veſtigabile regni,
Magnificum Authorem Regnatorémque celebrent.
Túque Deum mea mens ſtudio fervente celebra.

EUCHA-

EUCHARISTIA.

I.

HOc facite (dixit Meſſias) memores mei,
Cœnam ſigillum Mortis inſtituens ſuæ.
Tuíne quiſquam Chriſte non memor ſiet,
Noſtræ fuiſti qui ſalutis tam memor,
Penè ut ſalutis immemor fueris tuæ?
Nam qualis & quo (per Deum) ibat Meſſias,
Hoc facere quando juſſit abſcedens ſuos?
Ibat paratam gnarus ad Crucem ſibi.
Ibat hominum pro ſcelere ſuccidaneum
Caput daturus, jámque Mortis horridis
Torvè minacis implicatus caſſibus,
Quam mente totam providâ præceperat.
Angore in illo, bajulans iræ Dei
Pondus jubentis ut piamen ſe daret
Hominum ſceleſti generis affixus Cruci,
Volens quod ipſe ſtrenuúsque præſtitit;
Angore in illo nil ei fuit prius,
Antiquius nil, quam ſuis ut diſciplis
Sui hoc amoris grande mnemoſynum daret,
Hoc corpus, iſtum ſanguinem nobis daret,
Quæ noſtri amore victus, & victor necis,
Cædi cruentæ traditurus mox erat.
Hoc ergo corpus, ſanguinem hunc vobis datum,
Juſſi atque grati Chriſtiani ſumite,
Divis amoris colliquentes ignibus,
Hoc facite, dixit Meſſias memores mei.

Mori-

II.

Moriturus istud, Christe, discipulis tuis
Celebrandum in omne tempus imperans sacrum,
Mihi sic videris ultimum affari tuos.
Salvete amici; porrigit mihi Pater
Iræ in nocentes ebibendum poculum,
Animæ atque carni (proh Deus!) acerbissimum;
Plenum ut salutis ebibatis poculum,
Quo sicca læti proluatis pectora.
Hoc dulce amici linquo vobis; at mihi
Dolorum amara; quæ malis mortalibus,
Fuerant bibenda, penitus absque me foret;
Sine quo est inanis ipsa pœnitentia.
Est vita vobis crux mihi quæ mors erit:
Et vita morte vestra servatur meâ.
Hic ergo panis usus in cœnâ, hic meri,
Queis sustineri vita mortalis solet,
Sint ista vobis certa signa quamdiu
Alterna luci nox erit, nocti dies,
Hac carne cæsa, sanguine hoc fuso, omnibus
Vitam parari perpetem obsequentibus
Credentibúsque; nec minùs vobis dari
Carnem & cruorem vestra queis constat salus,
Quàm quæ ora pascunt vestra, panis & meri,
Geniale vobis munus utendum datur.
Agite vocati, dapsiles dapes meas,
Nec árque divum, mente purâ sumite,
O qui esuritis, qui sititis gratiam.
Valete amici; me vocat Mors: interim
Mortis meæ vos fructibus satiamini.
Celebrate Mortis ritè memoriam meæ.

III.

III.

Egóne nocentum (væ mihi!) nocentissimus
Epulas adibo regias Sanctissimi;
Ante ora cujus non beatorum Chori,
Non sanctitate se tuentur Angeli;
Sed trepida pennis ora velant candidis?
Quid agam? recusem? qui vocor benigniter,
Ab eo benigna cujus invitatio
Authoritate jussionis vindice
Armatur? ab eo qui laborantes jubet
Accedere ad se, mitis & salutifer?
Qui corde fractis atque pœnitentibus,
Bonitate nulli comprehendendâ, Pater
Miserationum, pollicetur gratiam;
Promissionis ipse nunquam pœnitens?
Id agam; mearum noxiarum conscius,
Prostratus ante Judicis magni pedes,
Me judicabo noxium, nè Judicer.
Mea dicta, facta, cogitata perperam,
Heu! ab volente, ab negligente, ab inscio,
Impar recordando, at fatendo par ero:
Et (si rogati gratia haud defit Dei)
Par pœnitendo. Genua contingam Patris,
Qui pœnitere noxium vult, non mori.
Ejúsque veris expetam lacrymis opem;
Quâ me retexam, me refingam protinus,
Ad ejus instar cujus effigiem Deus
Impressit animæ quam creavit primitus.
Prototype Christe, fac tibi similis, tuis
Meritis redemptus, me Patri approbem tuo,
Fac me decorum Charitate, Spe, Fide;
Mensæque dignum redde convivam tuæ.

IV.

IV.

Hic Dominus ingens instruit convivium;
Sed istud uno continetur ferculo.
Divinus Agnus solus hic apponitur,
Cui quicquid unda, quicquid educat solum,
Opimitate cedit atque copiâ.
O copia ejus digna magnitudine
Cui servit uni cella Olympi regia!
Satiatur isthic quisque justitiam sitit,
Quisque esurit eam: robur hic languentibus;
Requiésque fessis, tristibus solatium,
Ægris valetudo, anxiis serenitas,
Miranda Mundi perditis rebus salus,
Morbos ad omnes grande alexipharmacum
Forte amuletum cœca propulsans mala
Quæ fraude dirâ tortuosus advehit
Anguis vetustus ex Avernali specu.
Peccata Mundi tollit Agnus hic sacer,
Pace inquietas conscientias beat,
Quas vellicabat conscius noxæ timor.
Exonerat ægrum vix trahentes spiritum,
Sub culpæ iniquo degravantis pondere.
Aperit amicam pœnitentibus reis
Faciem supremi noxiæ ultoris Dei;
Qua semet onerat quámque mox eliminat,
Victore Mortis expiatam sanguine.
Hic arrha firma cœlitus nobis datur
Hæreditatis, atque prælibamina.
Divina, & ultra carnis humanæ modum,
Ingentis epuli quod suis Christus parat,
Quando recepti liberique emerserint
Gravedinosæ carnis ex gurgustio.
Eia anime, cœnam sempiternæ præviam
Bene præparato cordis ore vescere,

Sanctáque orexi. Túque convivæ tuo,
Sponsæ Agne, vestem nuptialem accommoda.

V.

Tuámne, Domine, indignus ad cœnam vocor?
Indignior sim si vocatus absiem:
Ultróque claudis memet annumerans, tuæ
Adhibere mensæ quos tibi libuit, Pater;
Ad eam vocatus ambulo, vel claudicans.
Ad eam vocatus (quæ tua est clementia,)
Non tantùm egenus quòd siem, sed quòd reus,
Miserationis majus exemplum tuæ.
O egóne quis sim gnarus, ignarus siem
Magno vocatus hospiti quid debeam!
Qui mihi salutem, qui mihi semet dedit
Mílero, nocenti, destituto, perdito;
Quem filiorum adscripsit albo, Filio
Fratrem æviterno fecit, hæredem sibi.
Quàm verò amori Filii sum obnoxius!
Qui carne semet induens meâ, suam
Mihi reponit, pro meis erroribus
Cæsam, piamen noxiæ certum meæ.
Benignitatis hæc Dei magnalia
Prehende adorans anime, téque munere
Tanto memento præstinatum reddere;
Saucia salubri corda pœnitentiâ,
Firmata Amoris & Spei coagulo:
Mundos, subactos, integellos, intimos
Animæ recessus, unde nil quicquam sibi
Mundus trahávve depeculetur Caro:
Ardens amore proximi pectus pium,
Nunquámque fugitans aut dare aut ignoscere.
At ista quæ dem tu mihi Deus dato.

ANGLIÆ

ANGLIÆ SERVITUS REGE EXULANTE.

Tyrannus.

TE ſolam adoro, te meæ fidei Deam,
Fortuna fallax cæteris, conſtans mihi;
Mihi vagienti ſaga quam cecinit ſagax,
Fatidica puero conſpicandam ſomnia
Dedêre, ſceptris & triumphis fulgidam.
Expoſtulare ſed libet tecum Dea,
Quòd ſeriò ad me tu quidem, ſed ſeriùs
Veniſti, & annos qui juventæ robore
Crudo vigebant, aleâ atque crapulâ
Ignava ſpectâſti otioſe deteri.
Nec antè patriæ peſtis, at ſeges mihi,
Erupit Orco *fœderatio*, quàm meæ
Defloruiſſet lætus ætatis vigor.
Dein (fateor) iſtam gnava penſâſti moram,
Felicitatis impete citatiſſimo,
Cui lata Phœbi terra quà radiis ſubeſt
Nec vidit unquam nec videbit ſupparem.
Ego ille miles qui priùs nunquam fui,
Centurio factus, mox tribunus militum,
Mox Imperator, Rege major, omnium
Formido Regum, Regiorum malleus,
Mihi propriorum maximus amor militum,
Nullius ultra; Proh Deus! quid præſtiti?
Quid milite iſto fortiter non præſtiti,
Stupens quod Orbis horret & laudat ſimul?

Quoties aperto Martis in discrimine
Fregi minaces nobilésque copias
Communis hostis, quem vocant Regem impii?
Hunc ubi redactus ultimas ad incitas,
Semétque credens Scoto, ab ipso venditur,
Emptorum iniquâ cautus ex custodiâ
Rapui, meâque detinui, ut mei unius
Captivus esset. Mox ubi arbitrii mei
Servum Senatum Marte & arte providus
*Mi*hi pastinavi; judicatum protuli
Exterminandum cæde captivum caput,
Orbi execrandâ, rebus utili meis.
Per me licebit ut Deo Rex assidens
Radiet coronâ gloriosus *Mar*tyri,
*Mi*hi dum meisque immane quantum obscurior
Corona regni propria sit Britannici:
Nec immerenter, quippe quam tot præliis,
Sudore tanto, strenuus, solers, vigil,
*Mi*hi comparavi. Testis esto Hibernia,
Immanis, atrox; hanc ego veniens celer
Vidi atque vici, multa tunc post secula
Primùm subactam prorsus: hujus proxime
Fatum secuta est venditrix Regis sui
Devota Dominis imperare Scotia,
Malo coacta nostra, quantumvis fremens,
*Mor*dere fræna. *Mo*x jugi impatiens venit
Domanda ferro bis quotannis Anglia;
Qualis catenas tigris aut fulvus leo
Et clathra rumpens; tanti id est moliminis
Animos viriles Regiorum frangere!
At quicquid inter ista regnorum trium
Agri virûmque continetur littora,
Est area meæ angusta fortitudini.
Quacunque Terras Amphitrite amplectitur,
Per cuncta lætè maria formidabilis
Victricia arma classibus circumtuli.
Quid nostra virtus præstet & Genius potens
Sensit Batavus, sensit Hesperius tremens,

Gallúsque

Gallúsque adulans, Lusitani supplices,
Et ambientes undequaque nominis
Splendore nostri terrefacti Principes.
O si juventæ Parca lapsos perperam
Referret annos, haud mihi arduum foret
Europa quotquot lata Reges suspicit,
Titulis tumentes, diffluentes otio
Luxúque, solio præcipes devolvere.
Hui! quid remota, quid tuæ cupidini
Negata prensas anime? cui pensi nimis
Domi est, ut iste partus infideliter
Tibi fidelis hæreat honos Imperi,
Adeò vacillat, & tuam fugit manum.
In illud ergo totus incumbo. Est duplex
Mihi cohibendum jugiter hominum genus,
Ferum, inquietum; Regii & Fanatici.
Hos qui Monarcham non ferunt nisi Messiam,
Eóque stolidi fine militaverant,
Pietate tristi captiosos divido,
Subdividóque perpetim magis ac magis;
Foveo Prophetas lacrymosos, fervidos,
Febriculosos, ipse collacrymans, agens
Prophetam & ipse, singulísque partibus
Blandùm renidens, me Patronum spondeo;
Facio invidentes invicem, fidas mihi.
Illos suum qui Carolum nunquam exuunt,
Et ad ruinam semper erectos meam,
Per coryczos subruo emissarios:
Impenditur in hos larga nummorum penus,
Ut regiorum cœpta prævertam meis.
Id nempe satago per catascopos meos,
Ut moliantur cœpta victi plurima,
Reliquásque in illa prodigi fundant opes,
Quæ mox in ipso cruda partu abortiant,
Ipsi paratos proditi in casses ruant.
Hæc edolantis machinamenta, indidem
Cor versipelle lancinant aculei
Nemesis molestæ, quam Deum vulgus vocat:

Pelagus cruoris, & rapinarum strues,
Cœlúsque Princeps dormienti ecclamitant,
Rumpúntque somnos: His tamen clamoribus
Quæs premimus intus, imperat silentium
Plausu secundo militum acclamatio.
Tum pocla Bacchi, cithara, cantores, Venus,
Opes, honores, Regium domi decus,
Malæ remulcent ægra mentis ulcera.
Huc huc beatis vina pressa in insulis
Propere minister profer; huc lætum voca
Chorum lyrarum vocium et testudinum;
His leniemus cæca mentis tormina.
Incurioso jam libet partis frui,
Post fata fatis quid futurum linquere.

Populus.

QUàm mutata Britanniæ
Formosæ facies! nuper amabilis,
Lætâ luxurie vigens,
Et risu nimium blanda protervulo.
Nunc sulcata minacibus
Rugis, sparsa comas, & lachrymis madens;
Et vertigine turbidos
Distorquens oculos, oráque lurida;
Squallens, horrida conspici.
Has intemperias (credere quis queat?)
Afflictæ intulit, unicè
Tranquillare animas Relligio solens;
Aut si veriùs æstimes,
Dæmon innumeris Relligionibus,
Orci faucibus editis,
Informis, tetricus, damnificus, furens,

En

En Tartareis miserè vapulat
Ægra colubris; en ut proprio
Demens ferro sua membra secat,
Lacerat viscera, jugulúmque ferit.
Istis manibus exagitatæ
Vafra illudit mente Tyrannus;
Populi furias, sobrius ipse,
Ad sua vertens commoda solus.
Nec est qui levet hanc neci propinquam,
Nec est qui domet hunc ferocientem.
O rerum arbiter, ilicet perimus,
Hujus vafritie, illius furore.

Tu sanè ultrices si dextram armabis ad iras,
Vix nostra æquabis crimina fulminibus.
Quin sanare ægros, meritos quàm perdere malis;
Et medica ultricis comprimat acta manus.
Exitio quamvis surgat tibi multa reorum,
Ægrorum ex cura gloria major erit.
En quo te immensum, quo te Deus omnipotentem,
Victricíque Deum te bonitate probes.
Nempe excrevit eò nostræ vis pessima noxæ,
Ut soli immenso sit superanda Deo.

ANGLIÆ LIBERTAS REGE REDEUNTE.

PSALMUS CXXIV.

NI favens nobis Dominus fuiſſet,
(Salva nunc dicat domus Iſraelis)
Ni favens nobis Deus obſtitiſſet
Hoſtium turbæ vigil irruenti,
Illicet vivos avidi vorâſſent ;
Talis uredo famis implacatæ
Ardidas fauces penitus coquebat.
Turbidâ populi illuvie maligni
Obrutus noſter jacuiſſet, undis
Præfocatus cor animámque preſſus.
Ille nos torrens ſonitu tremendus,
Et procellarum tumidus feróxque
Impetu, exundans rapuiſſet, imo
Gurgite abreptos modò condidiſſet.
Gloria æternùm Domino Deóque,
Dentibus qui nos rabidis leonum
Jam voraturis trepidos revulſit.
Qualis excuſſo volucris tenaci
Aucupis viſco, laqueíſque ruptis,
Capta tantumnon celer evolavit ;
Perditi ferme, tamen eia diros
Rupimus caſſes ; niveíſque pennis
Alma Libertas fovet explicatos.
Hoc tibi acceptum ferimus recepti
Munus, O Cœli, maris atque terræ
Conditor ingens.

PSALMUS

PSALMUS CXXVI.

Quando Sionis Maximus Optimus
Captivitatis lurida vincula
Abrupit, horrendísque merſos
Eruit attonitos tenebris:
Amica ſemet fallere Spes amans,
Falſo renidens ludere ſomnio
Nobis videbatur; metúsque
Credere nos oculis vetabat.
Sed ipſa nos res protinus impulit
Hæc ora gratis ſolvere cantibus,
Gentísque ſolamen redemptæ
Ingenuo celebrare riſu.
Quin Ethnicorum Judæ inimica gens,
Coacta verò, quamlibet invida,
Sic dictitabat; Mira, magna,
Huic populo Dominus peregit.
Hui! mira nobis magnáque præſtitit
Author ſalutis magnificæ Deus:
Mentésque permulſit labantes
Unguine lætitiæ benigno.
O Liberator, cœpta ſemel bene
Pollente dextrâ tu bene perfice:
Pœnæque peccatíque ſervos
Ad pileum revocare perge.
Quos enecârat tetrica ſervitus
Divi favoris rore reſuſcita;
Ut Solis arentes ab æſtu
Mox ſcatebris ſaturantur agri.
Sic qui dolentes ſemina jecerant,
Jucundi agrorum luxuriem metent:
Paulámque ſementem triceno
Fœnore multiplicabit arvum.
Qui fletu amaro ſemina tinxerat,

Mox

Mox deliturus pectora gaudio,
Cum jubilo plausúque fartos
Fruge domum referet maniplos.

O pulchrum! O cunctis mirum & memorabile sæclis
Prodigium! post bis denos miserabilis annos
Servitii, post tot gemitus, tot sanguinis amnes,
Irrita virtutis post tot conamina cassæ,
Prodit Io! liber, victor sine cæde duelli,
Regis amans populus; charíque ad fideris ortum
Exilit è tenebris, & Rege ut Sole calescit.
Humanum quis credet opus? quisquámne ferenæ
Non rationis egens, nec læva mente creatus,
Addubitet quin enthea vis, vis enthea palam,
Tot strictos condat gladios, mitescere cogat
Tot prius immites animas, inimicáque Regi
Pectora, successu fortunáque ebria dulci?
Illius hoc opus est qui fluxum & mobile vulgus,
Ceu prudens aquilex rivos, huc vertit & illuc:
Illius qui Pacis amans, Pacísque Parentem
Se jubet agnosci, sævos qui conterit enses,
Splendidáque ex fractis incendia construit hastis.
Hæc spectans ululat belli civilis Enyo,
Ipsa suis rabidis discerpens unguibus hydras,
Accensósque furens peritura incurrit in ignes.
Principe nunc priscâ cum libertate reverso,
Compita quòd festos capiunt vix læta tumultus,
Quòd vespertinis collucent æthera flammis,
Quòd plausu & lætis urbs fervet læta choreis,
Vina novi fundunt fontes, cava machina fulgur
Et tonitru, sacrísque sonant in turribus æra;
Hæc eadem à quavis expectes jubila gente,
Publica quum vulgi pertentant commoda pectus.
At quibus ex meliore luto præcordia constant,
Ad Cœlum, ad Pacis Libertatísque Parentem
Mirantes tollant oculos, mentésque, manúsque,
Et laudem & grati pendant libamina cordis.

Nec

Nec ſemel eſt ſolviſſe ſatis quæ debita ſemper;
Hæc ſemper debere juvat, ſempérque referre.
Maxime, qui poſtes Erebi portásque refringis,
Quem lethum eſt & vita penes, qui trudis ad atri
Limina, ſemineces revocas ex faucibus Orci;
Aſpera nos meritò paſſi, immeritóque redempti,
Te Juſtum canimus, te Clementémque, Potentémque,
Hui læti trepidíque ſimul! tua maxima Virtus
Quâ ſervas miſeros, eadem punire nocentes
Aſſolet, & tua nos etiam Clementia terret,
Ne fiat violata Furor; affuſáque nobis
Dulcia ab impuro cogantur aceſcere vaſe.
O regis regníque Parens, quo præſtite Princeps
Exilium mutat ſolio, luctúmque coronâ,
Pacificè victor; quo vindice natio mille
Diſcordes dominos, populum ſemétque prementes,
Excutit; atque uni generoſa & libera paret,
Cujus in imperio populi ſtat vita ſalúsque;
Fac Deus ut populo totíque ſalutifer Orbi,
Optatus longùm longos Rex computet annos.
Juſtitia & Pietas ſtent ~~firma columina~~ regno. *fulcra perennis regno*
Depluat ex fauſto paſſim bona copia Cœlo.
Pax colat alma ſolum; certent tamen uſque viciſſim,
Génsne magis Regem beet, an Rex providus illam.
O paſſi gravia, & meriti graviora, cruentas
Errorum pœnas, inſperatámque ſalutem,
Mente notate piâ, per tot miracula partam.
Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere Numen.

IN

IN MOLLES POETAS.

PAlmam præripiant mihi volenti
Ludendi numeris Catullianis
Vates molliculi nepotulíque ;
Qui ſibi ſtatuunt id eſſe penſi,
Ut ſcalpant modulis libidinoſis
Ægri pectoris intimas medullas ;
Veſanique ſuæ ſalutis hoſtes
Ventilent ſibi morbidos calores.
Nobis non libet eſſe tam diſertis ;
Nè quum nequitias ſalaciores
Factitavero muſteus poëta,
Serò hos experiar jocos amaros ;
Qui nimis memori indidem recurſent,
Quum fractus ſenio, imbecillis, æger,
Decumbam, cumulo premente noxæ
Quàm morbo ægrior. O mei meæque
Camœnæ Genitor, favénsque præſtes,
Hos mî da modulos Deus vigenti,
Quos amem memor ultimùm fatiſcens,
Quos in ore habeam imminente letho,
Da quos hanc animam tibi refundens
Aſſumam comites ad aſtra verſus.

HUMI-

HUMILITATIS SCHOLA.

O Quicunque tui tumes amore,
Mundi turgidus ebriúsque typho;
Terrarum Domini, & Poli Monarchæ
Sub vilis ſtabili memento culmo
Naſcentis, miſeróque ſolpicatis
Primulum jubar exerentis Orbi.
Quem paupercula de ſuo rubentem
Partu faſciat, atque vagientem,
Heu! procul lare, mater & miniſtra,
In præſepibus, aſperóque fœno,
Culcitræ vice, collocat tenellum.
Hæc cunabula, ſtromata iſta Regi
Subſternuntur, ad imperata cujus
Currunt Angelicæ & volant catervæ.
Hunc ætate videbis auctiorem
Miniſtrum modo vitrici fabríque:
Mox quum ſe ſobolem Dei probabit,
Et verbo, atque opere aſſerente verbum,
Probris omnibus undique impetitum,
Pro maléque bonum redhoſtientem;
Damnatum horrificæ neci innocentem,
Liventem ictibus, uvidúmque ſputis,
Romanis lacerum latus flagellis,
Clavis in Cruce diriter foratum,
Duorum medium lavernionum.
Hic ergo tibi præcipit, ſuperbe,
Exemplóque docet quod ante verbo:

A me

A me diſcito, méque noſce mitem,
Noſce corde humilem; & quiete mentis
Perfruére, ſuperbiæ negatâ.
Hoc exemplar habe, hæc notato juſſa:
Hæc tu ſic memori reconde mente,
Ut præſentia jugiter tibi ſint;
Dein tu, ſi potes, ut libet ſuperbi.

SPRETA EXOLESCUNT.

ID nempe ploras, Cucule, quòd falſo tuam
Lutulat popellus crimine innocentiam;
Cùm lætus eſſe debeas quòd criminis
Sit falſa labes, mente nî vulgariâ
Minoris *eſſe* quàm bonus *dici* æſtimas,
Virtutis almæ nomen anteferens rei.
Homuncionem te probas nullæ rei,
Popularis auræ ſi levem levior fidem
Serenitatis arbitram facis tuæ;
Vulgíque ſervus, nulla (nî populo placet)
Pectoris honeſti carpis intus præmia.
Iſtos habere ſit tibi teſtes ſatis,
Temet Deúmque; queis ubi approbaveris
Tua pura ficti criminis præcordia,
Securus eſto bruta plebs quid ganniat,
Quid grunniat ſus, aut quid anſer gingriat.

CURSOR

CURSOR LEVIS IN DEO STA.

PApæ quàm levibus movetur alis,
Huc illuc volitans imaginando,
Desultoria cogitationum
Discursatio divagatióque!
Sic gyros temere secat finúsque,
Sub confinia noctis & diei,
Nomen vespera cui dedit volucris,
Volatúque oculos rotante fallit.
At certè simili minutiore
Mentis detero concitos meatus,
Cùm nictu citiùs fugax ocelli
Ab Ortu ad roseum cubile Solis
Sese mens rapiat, repénsque ad Austrum;
Indagare sagax scaturientem
Nilum; nec mora, fervidas arenas,
Memphim, Pyramidas, volucre salu
Et Coptos superat siticulosos,
Ut septemplicium per ostiorum
Fluenta ad Rhodias penetret oras.
Hæc quantumlibet admovet remotam
Sumatram Hesperiæ, polóque Terram.
O si quàm levis advolat polo mens
Tam firma insideat, viásque Cœli
Indefessa terat! Sed illa Cœli
Vestigatio curiosa, longis
Orbem sideris admovens specillis,
Non est apta mihi, nec in meam rem.

Illud

Illud da mihi, summe Cœlitum Rex,
Cœlum scandere quod tuo verendus
Dignaris solio; haud vago brevíque
Excursu libiti licentiosi,
Sed plenis animi bene instituti,
Purgati, ingenuéque præparati
Carbasis, Zephyro superni amoris
Inflante, atque animam vehente sursum.
Euge conscia, vah! nimis tibi mens
Quàm tu sis fugitiva, quàm licenter
Incœptum bene sanctitatis ingens
Solens destituas opus repentè:
Naturæ instrue Gratiæque vires,
Ter quatérque iterúmque roboratas;
Queis admota Deo Deum tenaci
Amplexu pia firmitet retentes;
Et vite arctiùs implicante lentis
Ulmi brachia brachiis amanter,
In divum columen tuum recumbas,
Hærens, applicita, involuta, pendens
Tota ab hoc stabili unicóque fulcro.
Mox præ gaudio anhela, palpitánsque,
Extra temet amans supráque rapta,
Exclamabis, Io! diu expetitum
Quæsitúmque diu beata sponsum
Inveni, tenecóque, pectoríque
Appressum geminis fruiscor ulnis:
Nec vis ulla reciproci fidelem
Amplexus mala copulam revellet.

AD

DA LOCUM IRÆ.

EN ut præcipiti meæ
Percussæ crepitant grandine tegulæ;
Quæ tecto modò desilit,
Tellurémque ferit, fluxa, solubilis,
Calcanda omnibus in via
Impulsu horrisono quos pavefecerat.
Huic non absimilis, tibi
Vana intemperies increpitantium,
Et clamore minacium
Turbinum, obstreperis questibus ingruit.
Huic tu, Crispe, locum dato;
Irarum pietate & patientiâ
Prudens excipere impetus,
Adverso impete non exuperabilis.
Adjutante modestiam
Contemptu tacito, concidet istius
Ictus grandinis irritus.
Atque ut sulphureo pulvere concita
Casso glans manet impete,
Excepta aggeribus ferrea terreis;
Iræ bruta protervitas,
Incussa in placidæ molle animæ solum,
Cessim vincitur obstupens,
Ipsóque obsequio consilet obruta.
Congressum facit imparem
Certare implacido qui placidum jubet:
Nempe hic viribus integer,
Quà se protegat, & quà noceat suo
Hosti providus aspicit.
Illum debilitat sensibus, artubus,

Ardor turpiter impotens,
Hosti ludibrium & præsidium suo.
Paci consuluit suæ
Qui se Christi humilem discipulum gerit;
Serpentíque columbulam,
Prudens simpliciter, moribus adjugat.

UTRINQUE VAPULANS.

VEtus est, sed ævo haud obsoleta fabula,
Vir semicani capitis, impar conjugum
Conjux duarum, vetulæ & adolescentulæ;
Quarum ista canos, illa nigros, æmulo
Studio, miselli sæpe vellebant pilos;
Deosculantes indidem stolidum caput,
Adblandiendo lenientes scilicet
Avulsionem; donec inter æmulas
Curruca vulsus, invenustus, depilis,
Et albicante glabrior cucurbita
Informe mansit atque ridendum caput.
Heu! patitur isti compares injuriæ
Religio Manes, cujus augustum caput
Et hinc & inde vellicatur perpetim.
Isthinc Novator pervicus, in Ecclesiæ
Mores vetustos atque caniciem sacram
Unguibus aduncis involat maligniter,
Radicitus eam gestiens avellere.
Illinc novatam, sicut Aquilæ, Conjugis
Christi juventam exosus Antiquarius,
Aut larva potius tetrica Antiquarii,
Novellus ipse ritibus, cultu, fide,
Avellere ardet cum comis ipsum caput.
Hos inter ægrum Ecclesia trahit spiritum,

Nudata,

Nudata, lacera depilata, vapulans,
Ridenda Mauris atque Turcis, & brevi
Itura pessum; ni suo quam sanguine
Christus redemit, Spiritu præsens regat,
Amore foveat, vindicétque robore.

GUILIELMO DE LONGA VILLA,

Intimo meo.

GEneroſe, cujus indolem faventior
Natura finxit, & refinxit Gratia;
Qui diſciplinæ primulæ ingratam moram
Virtute ſarſiſti, & labore pervico,
Tibimet magiſter: non tibi ex umbra Scholæ
Juveni ſenilis contigit prudentia,
Matura, ſolers, etudita, perſpicax;
Sed res gerendo, ſed legendo perpetim
Homines, librósque, ſic utroſque conferens,
Ut inde Mundum noſcere & contemnere,
Rerúmque faciem judicante lumine
Perlegere poſſes, & cato moderamine,
Negotiorum varia per diſcrimina,
Et utramque ſortem, ferre inoffenſum pedem.
Tecum unà ut iſtis perfruiſcar artibus,
(O cui meas res méque totum debeo)
Quoties cupivi, perperam heu! mihi ut tua
Tua illa conſuetudo, læta, candida,
Amica, prudens, ſemper ad manum foret!
Unà irretentis Principum ex affectibus,
Populíque morbis, moribúsque ſeculi,
Expenderemus augurandum quid ſiet,
Gemeremus unà lacera quod Eccleſia,
Secúmque diſcors pacis ignoret vias;

Discidiúmque latius miseræ in dies,
Oris utrinque turpe diductis, hiet.
At cum ad medendum morbidi secli malis
Non advocati simus Æsculapii;
Te méque sic nos addecet componere,
Ne priva nostra publicæ noxæ struem
Cumulet, gravantem Terram iniquo pondere,
Cœlum superbo verberantem vertice.
Geminet valente robur antiperistasi
Erecta pressu sceleris Innocentia;
Retróque tracta firmiùs Deo hæreat.
Boni malive quicquid ista parturit
Hodierna rerum ignita constellatio,
Animum induamus liberum præjudiciis;
Et indè nobis quicquid incumbet jugi,
Placidi feramus; quippe voti compotes,
Id dum volemus unicè quod vult Deus.

Generoso & Studioso Adolescenti
GEORGIO OXINDEN.

BEne est, Georgi, quòd juventæ flos tuæ,
Domíque stemma nobile, & favens pater,
Tuam haud retundunt, sed acuunt industriam,
Tuæque tendis esse fortunæ faber;
Id nempe loquitur carmen inscriptum mihi,
Plenum tui in me amoris & frugis bonæ.
Virtutis hujus osculamur impetum;
Et comprecamur ut tibi faustus siet,
Tuísque, quorum spem beantem sustines.
At tu cape istud consili, Generosule;
Nè demoreris fabricam faber tuam,
Properando tardus; factitans quod assolent
Angusta quos res, calcar impatientiæ,
Laboriosum non sinit per otium

Nutricis

Nutricis almæ lacteis Academiæ
Hærere mammis, ex eísque ducere
Sensímque, tractímque, uberis scientiæ
Succos salubres; non fluentes ut solet
Effusa gutto lympha, sed per guttulas
Lentè meantes; hisce qui properat nimis
Nunquam fruetur, quíque jejunus venit,
Jejunus idem réque non factâ redit.
Ergò examussim quadrat in pauperculos,
Qui studia raptim sorte deproperant malâ,
Hæc gnoma, *nimium diligentes non amo.*
Hi nempe acerba studia protrudunt foras,
Et prima vixdum labra doctrinæ sacro
Intincta fonte provehunt ad pulpita,
Juxtà impotentes & silere & dicere,
Audaciâque futilem loquentiam
Fucare docti; sic tamen populo magis
(O inficetum sordidúmque seculum!)
Crudi placentes quàm subacti litteris.
Peccántque natis turpiùs parci patres,
Quos empta magno non juvat scientia,
Plurísque constans quàm revendi mox queat.
At tu, Georgi, liber his remoris, tuâ,
Ferente vento, carbasis plenis, rate,
Scientiarum fortis Oceanum seca.
Antiquitatem Christianam & Ethnicam
Audens pererra; quicquid antiquis nova
Scripta addiderunt post renatas litteras,
Poëseos mel, nectar oratoriæ,
Scholæque nervos, Orbis & Cœli plagas,
Mores & urbes: Omnia hæc sedens licèt
Peregre vagante pervehare pleniús.
Sit ista tota dædala eruditio
Uni fidelis servula *necessario*,
Sophiámque adorans entheorum codicum;
Sine quâ apparatus totus humani logi
Moria meraca est, vanitásque splendida.

Deus sit unus initium & finis tibi,
Quicquid memoriæ condis in tuæ penu
Pietate si tu condias, Deus tuæ
Semet jubebit esse fortunæ fabrum.

CRESCENTES PEREUNT.

PInguia diluerant affusâ smegmata lymphâ
Ludentes pueri, contingentésque liquorem
Innodis calamo stipulæ, moderamine lento
Sensim insufflabant, dilatabántque perito
Flamine crescentes viscosâ uligine bullas.
Doctior ille puer sociis, victórque cluebat,
Majorem ampullam qui flando eduxerat, & quæ
Excussa ex calamo, & tenues jactata per auras,
Plures conciperet radiante in Sole colores,
Et clara infractum retineret longiùs orbem.
At quò bulla aqueum spatiosa extenderat utrem
Latiùs, hoc citiùs guttâ resoluta peribat.
Huc specta vapidâ quisquis ventosus honoris
Ambitione tumes, & pluribus Iridis arcu
Mirificis rutilas lætúsque coloribus ardes,
Te quibus aulaï subleſta faventia pinxit.
Miranti te nunc populo ludibria debes
Imprudens; bulla aëreo malè turgida typho
Rupta repentè cades, & sordens guttula casu
Subjectam maculabis humum, turbæque cachinnis
Excipiêre cadens; En quò crystallinus Orbis
Devenit, & lætùm radiantis gloria pompæ!
Qui properat frangi intumeat; jejunáque tensus
Viscera multivolam esuriem fallentibus auris,
Fulgidulæ fucum sortis perituras adoret.

MUTA-

MUTATO NOMINE DE TE.

IN inope villâ Criſpus & famulus Geta
Cogente nocte & imbre pernoctaverant:
Ambobus unus lectulus; Criſpo brevis
In duriore culcitrâ ſomnus fuit.
Abituriénsque mox herus famulum jubet
Foris videre num ſub Eois plagis
Aurora rubeat; ille prætentans manu
Lentum in tenebris parietem, deductus eſt
(Fato beatus) ad feneſtellam penûs:
Domûs feneſtram ratus, ei caput inſerit;
Et utroque vertens, Papæ (ait) quàm nigricat
Utrinque Horizon! Occidente non minùs
Caligat Oriens; Imbre nunc Cœlum vacat:
Poſuêre venti. Sed quid hoc monſtri eſt, here?
Totus vetuſtum ſpirat æther caſeum.
Huic Criſpus, Heus tu, quas (malùm) gerras mihi
Tricásque blateras? Eſt mihi monſtri nihil
Pro more quòd tu ſcurra totus deſipis.
Imò (inſit ille) quod magis ſtupeas, here,
Halecis udi ros Eous liquitur.
In his uterque vinnulis argutiis
Per me maneto. Vos, quibus riſum movent,
Videte an iſta vos notârit fabula.
Paſſim error iſte trivialis obtinet,
Ut quod foris ſtat ex ſua æſtimet penu
Servile vulgus; omne quod laudem meret
Stulti ſua intra contrahentes littora.
Educite caput ex penu, ſi quis pudor.
Audete tandem lætum in aërem, viri,
Efferre longè externa viſurum caput:
Quiddámque toto ab Orbe frugis carpite,
Halece veſtro caſeóque dignius.

PRO

Pro Regia Societate Londinenſi.

ΕΥΦΗΜΙΑ.

EN iterum naſcens denſas Natura tenebras
Excutit: En iterum nigrâ caligine merſæ
LUX ESTO inclamat, verbo peragente verendum
Imperium, primæ mirandus originis Author,
Effœtum Illuſtres Socios dum mittit in Orbem;
Quem renovent, quem perficiant, quibus ille magiſtris
Hactenus occultos manſueſcere diſcat in uſus.
Hinc Mundo alterius renovetur originis æra,
Hinc nova ſeclorum ſeries. Lætiſſima divis
Auſpiciis Natura fave; gravibúsque magiſtris
Non unquam aſpectos aperi venerata receſſus:
Jámque novi Sociis pateant Regalibus Orbes.
Sive remota viri claris ſpecularibus aſtra
Admoveant, ſeu per fidæ commercia claſſis
Scrutentur quantùm Arctois Antarctica Ponti
Littora conveniant, et an æquâ mole Polorum
Pondera ſuſpendant firmo libramine Terras.
Sive ſolo ingenitas humana ad commoda vires
Explorare libet, cœcíſque exſculpere venis.
Tu quoque ſponte viris te perficientibus æqua,
Arcanos reſera docilis Natura meatus.
An ceſſas? at te flammis & compede ferreâ
Ceſſantem excipient, & erit parere neceſſe.
Nonne vides in te quo ſe molimine veſent
Pervigiles animæ, Sophiæ conſulta profundæ
Pectora? qui vectes, quæ ferramenta parentur,
Pondera, præla, molæ, quibus obſtinata domeris?

O rerum

O rerum Matris Genii! dignoscere prompti
Quid velit aut possit, quâ sit tractabilis arte;
Vos & ab inventis, vos ex erroribus ipsis
Proficitis Veterum: nec vestra inventa coercet
Quicquid Alexandri tutoris pergula sanxit.
Nec minùs est vobis Ratio quàm libera priscis.
Nam veteres venerata, quibus subvecta juvatur
Longiùs aspectare ipsis, nullius adorat
Ὡς ἔφατ; hæc pueros ævi reverentia Mormo,
Barbatísque metum poscens erroribus ætas,
Territet; & veritos studio sudare pusillos
Cognitione vetet canos anteire magistros.
Mulceat ista socors mentes veneratio tardas;
At sanis vegetísque animis non oggerat ultrà
Insipidæ gryphos Sophus inclytus entelechiæ:
Quæ nescit secum imperitans nescire Magister
Discipulis, sibimétque haud intellecta tueri.
Non vos ut Logicè fabricata Scientia surgat
Vestráque tornentur systemate scita rotundo
Cura tenet; sed ut effectis oculísque probata
Mascula cognitio crescat, quam claudere vobis
Relligio est artis teretis colophone supremo,
Nè non perpetuo pateat locus incremento.
Ac veluti toto perhibetur crescere vitæ
Tempore Niliacis acer crocodilus in undis,
Dum Tellus supereſt, & vestri vita Senatûs;
(Nam manet æqualis seclorum terminus ambas)
Per vos Cognitio, per vos magnum Utile, Mundo
Progressus geminare novos non desinet unquam.
Auxiliis instructa novis juvenescere discet
Mirantem agricolam ditans cultissima Tellus,
Frugiferam læto distinguens flore coronam.
Discet frigidius cultu felice racemis
Luxuriare solum, pomis virgulta novellis,
Poculáque austeris superabunt vitea malis.
Multiplici classes supplebunt robore sylvæ,
Oceani classes dominas, quæ vestra per Orbem
Experimenta ferant latè, Sophiámque propagent,

Et largam referant vestro de semine messem.
Non tentata novi exantlabunt alta Columbi
Cœpta, quibus vobis animos addentibus acres,
Terrarum extremos jungent commercia tractus.
Cum Cruce sanguineâ rubros nova Terra Leones
Prona colet, tradétque suas injussa fodinas,
Et fluet in nostros opulenta ô cientia fines.
Vósque domi interea per tota elementa sagaces
Circumferte animos, & iter tam grande sedentes
Conficite & stantes, aut vestri stirpibus horti
Intenti, aut domitis vestrâ in fornace metallis,
Aut aliis curâ quæ pertentantur & igne.
Indicibus ruspate animis quod parturit æther,
Quod mare velivolum, quod in imo viscere Terra;
Et quicquid Natura ferax, solertia quicquid
Progenerat, vestro se coram examine sistat.
Protinus hinc læto fœcunda exuberet Orbi
Cognitio; priscæ crescant juveniliter artes,
Succrescántque novæ: pretiosa inventa celebrent
Artifices; culpent eadem turba impia, quorum
Fraudibus arcanis vestra est solertia fraudi.
Quódque rei caput est, miro spectamine & usu
Divinorum operum celebretur providus Author,
Optimus, Immensus, cujus debetur amori
Intima Naturæ reserans penetralia Matris
Ingenium dominans, æterni Regis imago.

FINIS.

UNIVERSITY LIBRARY
MAR 6
1925
CAMBRIDGE

Elenchus Poematum hujus Corollarii.

IN Orationem Dominicam Meditamenta, X.
Pag. 1.
De Pœnitentia. X. 10.
De Amore Dei. V. 18.
De Eucharistia. V. 26.
Angliæ servitus Rege exulante. 31.
Angliæ libertas Rege Redeunte. 36.
In molles Poetas. 40.
Humilitatis Schola. 41.
Spreta exolescunt. 42.
Cursor levis. 43.
Da locum iræ. 45.
Utrinque vapulans. 46.
Guilielmo de Longa Villa. 47.
Georgio Oxinden. 48.
Crescentes pereunt. 50.
Mutato nomine de te. 51.
Regiæ Societati Londinensi Εὐφημία. 52.